

instituto digrediamur. Haecenus de multiplici dictum sit igne philosophico, ex physicis rationibus deducto.

De visibilibus & localibus instrumentis, & primò de utero spagirico.

CAP. IIII.

PRIVS QVAM ad materiam deueniamus, instrumenta singula cum actualia, tum localia declarare visum est ex ordine, quibus ad hanc artem opus est. Actuale primum, ignem esse diximus, locale verò primum est furnus, Athanor chimico nomine vocatus ab antiquis: hic vteri vicem in spagirica generatione refert. Hermes Trismegistus etsi non inuentor huius artis, non minùs quàm Paracelsus spagiricæ medicinæ, instaurator tamen dici meretur. Ille spagiricū hoc opus, in quo philosophia humana manum extremam ponit, ex meditatiua contemplatione maioris mundi sumpsisse exordium asserit, innuens ad imitationem cœli & terræ spagiricum Athanor extrui debere. Sed comparationem hanc ingeniorū exercitij gratia breuibus examina-

mina-